Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

telligat de his qui propositum continentie occul-
te uouerunt. et uotum suum sine attestatione
humana soli deo obtulerunt. eosque si post-
ea uoto fracto ad coniugalem societatem des-
cendere uolunt ideo ab ecclesia prohibe-
ri non posse: quia professionem illorum non accepit. ne-
que obseruantiam continentie eis indixit.
Si quis quoque tales uiduas aut uirgines post uo-
tum continentie ad maritalem copulam des-
cendentes dampnationem quidem habere.
uel rem dampnabilem facere. non quia nubunt.
sed quia uotum frangunt. non propter bonum infe-
rius quod appetunt. sed propter bonum superius quod
relinquunt. ita quidem propter fidem uiola-
tam dampnationem habere. sed tamen omnino
coniuges esse nec separari debere existimet.
certum est sicut supra diximus. quia ea que ecclesie pro-
bari non possunt. ab ecclesia iudicari non pos-
sunt omnino. Hec ergo que uera esse constat si
in sententia supra memorata conuenienter
dicta accipiuntur. nichil amplius restat
questionis. cur non ueraciter dicta et utiliter
tenenda approbentur. Certum est enim quia hii
post occultum uotum castitatis et propositum con-
tinentie non dum manifesta professione con-
firmant. ad experientiam carnis rede-
unt. nullo modo ab ecclesia prohiberi possunt.
neque eiusmodi copulam ecclesia ipsa si con-
iungerint abiudicat sed ratam esse. neque
occulta manifestis preiudicare debere
confirmat. Quod si quis adhuc dicere uolue-
rit quod ille que christo spiritualiter nupserunt non
possint deinceps illo uiuente homines
habere maritos. recte supradicta ratio-
ne eius assertio reprobatur. Ad hunc modum
de his que manifeste falsa sunt uel occul-
te uera unicuique secundum suam mensuram
sentire licebit. Michi autem hoc magis
probabile est si inueniri contingit. quod que

ueritatem seruat et auctoritatem non impro-
bat. precipue tanti uiri de quo bene sen-
tire debemus. etiam tunc quando id quod sen-
tit ipse. nos sentire non possumus. Dicamus
ergo quantum secundum ueritatem dicere possumus. quia
aut secundum tempus hoc dictum est. quando ita fie-
ri oportebat. aut secundum eos tantum hoc
dictum est. qui post occultum uotum continentie
ad experientiam carnis redeunt et coniuges
fiunt. quos ideo ecclesia separare non po-
test. quia cum hinc manifeste constet factum
quod illinc occultum fuit. probari non potest.
In quibus tamen temerate fidei reatus secundum
aliquid peior adulterio dicitur. quia per illud
in hominem. per hunc uero in christum peccatur. Aliud
est de illis qui post uotum etiam professione pub-
lica sub testimonio ecclesie se gratia domini se
obligauerunt. et forte adhuc quod amp-
lius est ad sanctimoniam continentie consecrati sunt.
de quibus uere dicimus. quia post tale proposi-
tum et tale uotum manifesta professione
confirmatum ad coniugale fedus descen-
dere non possunt. et si forte hoc ali-
quando attemptauerunt. non coniuges
sed fornicarios et spiritualis castimonie
uiolatores ad pristinam propositi sui in-
tegritatem repandam et conseruandam di-
stricte reuocandos. Si autem temera-
rio ausu incepto persistere uoluerint.
et illicitam copulam quam contra prime professio-
nis debitum inierunt deserere contemp-
serint quasi inobedientes et incesi-
tu fornicationis nefande contamina-
tos iuste seueritatis sententia ab
ecclesie communione precidendos. neque
ullatenus ad penitentiam recipiendos.
nisi se ab huius infamis societatis conuer-
satione retraxerint. et hoc est for-
tassis quod sibi uolunt uerba illa cunc